

singulare remedium habent ad refrigerandos in morbis corporum ardores, gelidissima, ut ferunt natura. Pars eorum aestu moritur prius, quae reliqui qui solstitialia dicuntur: uniuersi nunquam maturescunt. Et si prius quam tota maturescat, uua incocta detur cibo gallinaceo generi, fastidium gignit uuas appetendi. Fictitiorum primum fit ex ipso uino, quod uocant adynamon, hoc modo. Albi musti sextarii uiginti, aquae dimidium, feruet donec excoquatur aquae mensura. Alij marinae sextarios decem, tantundem pluuiae in sole quadraginta diebus torrent. Dant agris, quibus uini noxiam timent. Proximum fit est milij semine maturo, cum ipsa stipula libram et quadrantem in congios duos musti macerato, et post septimum mensem transfuso. Ex loto arbore, frutice, herba, dictum est uti quaeque fierent. Fiunt et de pomis quae dicemus, interpretationibus non nisi necessarijs additis: primumque est palmis, quo Parthi et Indi utuntur, et oriens totus, maturarum quas uocant chydeas modio in aquae congijs tribus macerato expressoque; Sic fit et sycites est fico, quae alij palmi primum, alij catorchiten uocant. Aut si dulce esse non libeat, pro aqua tantundem uinaceorum adijcitur. Ex Cypria fico et acetum fit praecellens, atque Alexandrino quoque melius. Vinum fit et est siliqua Syriaca, et est piris malorumque; omnibus generibus. Sed est punicis, quod rhoiten uocant: et est cornis, mespillis, sorbis, moris siccis, nucleis pineis. Hi musto maddi exprimuntur: superiora per se mitia. Myrtiten Cato quemadmodum fieri docuerit, mox paulo indicabimus. Graeci uero et alio modo. Ramis teneris cum suis folijs in albo musto decoctis, tussis, libram in tribus musti congijs deferuere faciunt, donec duo supersint. Quod ita syluestris myrti baccis factum est, myrtidanium uocant. hoc manus tingit. Ex his quae in hortis gignuntur fit uinum est radice, asparago, cunila, origano, apij semine, abrotano, menthastro, ruta, nepeta, serpillio, marrubio. Manipulos binos tundunt in cadum musti, et sapa sextarium, et aquae marinae heminam. Enapis fit, undecim denariorum pondere in sextarios binos musti addito. Item est scilla radice. Inter flores ex rosea folijs tussis, in linteolo in mustum colatis cum pondusculo ut sidat, xl. pondere denariorum in sextarios uicenos musti, nec ante tres menses uase aperto. Item est nardo Gallico, et aliud est syluestri. Aromatiten quoque inuenio factitatum tantum non unguentorum compositione, primo ex myrrha, ut diximus, mox est nardo Celtico, calamo, aspalato, offis in mustum aut dulce uinum desectis. Aliud est calamo, iunco, costo, nardo Syriaco, amomo, casia, cynamomo, croco, palma, asaro, similiter et ossa. Apud alios nardi, et malobathri selibris in musti congios duos additis: qualia nunc quoque sunt pipere et melle addito, quae alij codita, alij piperata appellant. Inuenitur et nectarites ex herba quam alij helenion, alij medicam, alij symphyton, alij ideam, et horestion, alij nectarea uocant, radice ponderis xl. denariorum in sextarios sex musti addita, si-

militer in linteo. Ex ceteris herbis fit absinthites in xl. sextarios musti absinthij Pontici libra decocta ad tertias partes, uel scopis absinthij in uinum additis. Similiter hyssopites est Cilicio hyssopo, uncijis tribus in duos congios musti coniectis, aut tussis in uinum. Fiunt utraq; et alio modo, circa radices uitium sato. Sic et elleboriten fieri ex ueratro nigro Cato docet. Sic fit et scammonites. Mira uitium natura, saporem alienum in se trahendi, qualem et salicum redolent Patavinarum in palustribus uindemia. Sic et elleborum feritur in Thaso, aut cucumis syluester, aut scammonia, quod uinum phthorium uocant, quoniam abortus facit. Fit et ex herbis, quarum natura suo loco dicentur. Est scachade et radice gentiana, et tragorigano, et dictamo, asaro, dauco, eleliphaco, panace, acoro, conyza, thymo, mandragora, iunco. Vocarunt et scyzinum, et itaomelin, et lectisphagitem, quorum iam oblitterata ratio est. Et fruticum uero est genere, cedri utriusque; cupressi, laurus, iuniperi, terebinthi, calami, lentisci, baccas aut lignum recens musto decoquunt. Item chamelae, et chamapityos, et chamedryos lignum. Eodem modo et ex flore, in congium musti decem denariorum pondere addito.

## De hydromeli &amp; oxymeli. CAP. XVII.

It uinum et ex aqua ac melle tantum. Quinquennio ad hoc seruari caeleste iubent. Aliqui prudentiores statim ad tertias partes decoquunt, et tertiam mellis ueteris adijciunt. Deinde xl. diebus canis ortu in sole habent. Alij diffusa ita decimo die obturant. Hoc uocatur hydromeli, et uetustate saporem uini assequitur, nusquam laudatius quam in Phrygia. Quin et acetum melle temperabatur: adeo nihil intentatum uitae fuit. Oximeli hoc uocant, mellis decem libris, aceti ueteris heminis quinque, salis marini libra, aquae pluuiae sextarijs quinque, sufferuefactis decies, mox elutriatis atque ita inueteratis. Omnia ab Themisone summo autore damnata: et hercule coactus eorum usus uideri potest, nisi si quis naturae opus esse credit aromatiten, et ex unguentis uina composita, aut ut biberentur genuisse eam frutices. Ista sunt cognita iucunda, solertia humani animi omnia exquirere. Nihil quidem ex his anno durare, praeterquam quae uetustate ipsa fieri diximus, et plura ne tricenis quidem diebus non erit dubium.

## Prodigiosa genera uini. CAP. XVIII.

Vnt et in uino prodigia. Dicitur in Arcadia fieri quod fecunditatem feminis importet, uiris rabiem. At in Achaia maxime circa Caryniam abigi partem uino, atque etiam si uiam edant grauidae, cum differentia in gustatu non sit. Traezenium uinum qui bibunt, negatur generare. Thasios duo genera diuersa uini facere perditur: unum quo somnus concilietur, alterum uero quo sugetur. Apud eosdem uitis theriace uocatur, cuius et uinum et uua contra serpentium ictus medetur. Libanios thuris odore, ex qua dijs proliant. E diuerso aspendios, damnata aris. Ferunt eam nec ab alite ulla

q attingi